

nem: ideoque effectus negativus non causatur formaliter per formam positivam.

Resp. quod hic secundus error sit peior priore. Verbum divinum est formaliter persona, seu subsistit in natura divina, non per illam solam negationem communicabilitatis, sed per ipsam *positivam* proprietatem relativam qua constituitur in esse personae; nam personae divinae *qua personae* sunt, et non aliter, sunt *res realiter* distinctae et positivae. Si ergo natura divina subsistit per proprietatem Verbi et natura humana Christi solum per negationem, sequitur naturam divinam et humanam non esse *unum* in Subsistentia, ideoque in Persona differre. Vides errorem manifestum?

113. Praeterea notanda est alia contradictio, aliusque error. Dicunt, illam negationem constitutivam personae excludere adjectionem perfectionis *majoris*; tunc enim, ajunt, aufertur totalitas propria. Jam vero, Persona divina non constituitur tali negatione, sed per oppositionem cum perfectione *aequali* alterius personae: sequitur igitur, si concedamus eam personae et subsistentiae notionem quam AA. isti defendunt, personas divinas non opponi ad invicem *quatenus personae* sunt et subsistentes. Quid autem inde sequatur apertissimum est: nempe, idem et unum esse in ratione personae. Imo, non ne fateri oportebit ipsam divinam Naturam esse unam, perfectam et absolutam personam!

Nam licet communicetur et terminetur personis relativis (nos quidem esse personas veras supponimus, et nemo negare potest) non sunt Personae majoris, quam Natura, perfectionis. Ergo per hanc communicationem non amittit Natura divina suam *totalitatem... ergo...*

114. Prob. 4.<sup>o</sup> Natura humana Christi prius (prioritate naturae) extitit quam fuisset a Verbo divino assumpta (1): «Sicut illud quod »movetur localiter praeintelligitur ipsi motui.» Quam Angelici Doctoris doctrinam commentans Suarezius ait: «Quod assumitur supponitur assumptioni: quae doctrina est valde notanda »in hac materia; quam adeo per se notam D. Thomas existimavit, ut nulla probatione, sed sola terminorum explicatione indigere putaverit.»

Atqui quod supponitur assumptioni supponitur non assumptum, non unitum, ut per se patet: ergo supponitur subsistens et persona, si ex mera negatione ratio subsistentiae seu personae completur. Ergo generativa B. Virginis actio terminata esset ad personam a Persona Verbi diversam.

Dices: retorqueo argumentum. Prius, prioritate naturae, extitit

(1) Summ. p. 3, q. 4, a. 2.

humanitas Christi quam assumeretur; «nam quod assumitur praeintelligitur assumptioni.» Atqui quod supponitur assumptioni supponitur non assumptum; ergo actio generativa B. Virginis non est terminata ad personam Verbi, et ideo non erit Mater Dei.

Resp. Quamvis natura Christi supponatur assumptioni, seu non assumpta, tamen exigit ab intrinseco subsistere seu terminari.

Jam vero hanc exigentiam complevit Verbum Divinum uniens sibi, seu assumens illam naturam, eidemque communicans suam positivam Subsistentiam in eodem temporis momento.

Proinde negatur quod actio generativa B. Virginis non sit terminata ad Divinum Verbum.

In opposita autem sententia contrarium plane accideret. Nam semel completa et constituta persona, natura non amplius exigit compleri et terminari: imo potius excludit et repellit aliam terminationem seu subsistentiam; ita ut censeat D. Thomas, non sine corruptione aliqua posse naturam a priori subsistentiam exui. «Si anima, ait, aliquando habuisset propriam subsistentiam sine Verbo, cum fuisset a Verbo assumpta, vel non esset »unio secundum subsistentiam, vel corrupta fuisset subsistentia »animae praeexistens.» (Q. 6, a. 3.)

115. Obj. 1.<sup>o</sup> Si substantiae subsistenti, seu completae in existendo per se, adjiciatur alia perfectio in eo ordine; illud prius complementum non erit *ultimum*, etiamsi permaneat: è contra, si fingamus auferri illud adjectum complementum, prius rursus evadet *ultimum*, ac proinde vi illius erit substantia vere subsistens, seu persona. Ergo patet, per solam negationem compleri rationem personae seu subsistentiae.

Resp. Nego suppositum vere fictum et absurdum. Supponis substantiae completae in existendo *per se*, adjici complementum in eodem ordine: ergo est capax hujus complementi; ergo neque est ultimo completa, neque subsistens. Sane, ejusmodi complementum talis est naturae ut reddat substantiam *incommunicabilem*; repugnat enim in eo ordine et respectu rem compleri, in quo est ultimo completa. Hac de causa D. Thomas (loc cit.) necessum esse affirmat, quod sit pluralitas personarum, vel quod prior persona corrumpatur, si res subsistens aliam subsistentiam assumat.

116. Obj. 2.<sup>o</sup> Dicunt PP. nullum defectum esse in Christo, nullam desiderari perfectionem. Ergo nequit esse aliquid positivum naturae humanae personalitas seu subsistentia.

Resp. Dist. cum D. Thomas (1): nullus est defectus, nulla deest perfectio, quae pertineat ad perfectionem naturae; concedo:

(1) Q. 4, a. 2, ad 2.<sup>m</sup>



quae pertineat ad personam: subdist. Quatenus quaelibet perfectio spectans ad personam, continetur in eminentiore perfectione Verbi, conc. Quatenus *formaliter* sit in Christo ipsa perfectio personae vel naturae humanae; nego. «Neque enim adjectionem personae vel »subsistentiae Sancta Trinitas suscepit,» ita Conc. Oecum. V. Et D. Thomas (Q. 16, a. 12.) «Hoc est proprium homini Christo, quod persona subsistens in humana natura ejus non sit causata ex principiis humanae naturae, sed sit aeterna.» Quae verba perpendas videasque, utrum negationes indigeant efficientia et principiis!

117. Obj. 3.<sup>o</sup> Subsistentia seu hypostasis, formaliter sumpta, nullam importat negationem, etiamsi *sola ratione* a natura distinguatur. Ergo incassum urgentur praedicta argumenta, ratione talis negationis, adversus opinionem quae tenet; *subsistentiam non esse perfectionem aliquam positivam realem naturae superadditam.* Ant. prob. Persona rite definitur; *naturae rationalis individua substantia.* Atqui quod substantia sit *individua* nullam formaliter importat negationem: ergo. *Minorem* ostendunt ex *individui* definitione: «*Individuum enim nihil aliud est, nisi ipsum esse rei, ut illud in se indivisum est, et divisum seu distinctum ab omni alio.*» Atqui distinctio unius ab alio per aliquid positivum est; negatio autem solum est quid consequens: et certe, idem omnino, quod est principium essendi, est simul principium distinguendi, ut patet in differentiis specificis, quarum proprium est, constituendo distinguere: ergo quod substantia sit *individua* nullam indicat negationem.

Horum conceptum illationem, seu potius seriem exscripsi, ut confusionis, contradictionis et falsae opinionis patescat origo. Ratio nem substantiae primae, substantiae individuae, personae, hypostasis, (idem haec esse putant) non nisi negatione aliqua favente sibi aliqui confingunt; deinde quia argumentis punguntur, quae ex ea negatione nascuntur, in eam ingrati insurgunt, et exulare et abscondi jubent.

Resp. Dist. *minorem* ultimi syllogismi in qua est fallacia, et tota errandi occasio. Distinctio unius ab alio per aliquid positivum est *fundamentaliter*; conc. Est per positivum aliquid *formaliter*; nego.

Quod quidem ut intelligatur, parum est allaborandum; sufficit *distinctio* descriptio quam ipse arguens tradit. «Quodlibet ens »ab alio distinguitur, eo quod aliquid est aut habet, quod aliud »non est, aut non habet.» Quaero autem: Non ne definitio exhibet formam rei? Numquid in hac tua definitione non ponis *negationem* tamquam differentiam? Res quidem patet: non enim potes sistere in iis verbis tantum; «Quodlibet ens ab alio distinguitur, *ex eo quod*

*aliquid est.*» Nam ex eo quod *aliquid est*, potest dici *idem* vel *distinctum*; dicitur *idem*, si secum conferatur: et dicitur *distinctum*, si conferatur cum alio. Necessum habes adjicere: «Quod aliud non »est aut non habet.» En igitur *negationem*, ecce *formalem* distinctionem.

Vere sane dicitur: «Quod est principium essendi, est simul principium distinguendi.» Verum, quid hoc ad rem? Numquid quaestio est de *principio* distinctionis, et non de ipsa *formali* distinctione? Vis ne quoque ut confundamus *ipsum esse cum principio essendi*?

118. Auctor ille, qui definit personam: «Naturae rationalis individua substantia;» notionem deinde *individui* sic evolvit: «Nihil »simpliciter individuum est, a quo non est *exclusa* quaecumque »communitas esse cum alia re.» Quid clarius dici potest, ut concedatur, negationem esse de ipso formali conceptu *individui*, ideoque, distinctionis?

Quapropter recte docet Suarez (1), nec id deberet Auctori illi displicere, quod «Distinctio ipsa *formaliter* semper in negatione »consistit.» Juvabit integrum exscribere textum, nam inde naturarum in Christo distinctionem, divinarum Personarum, et alia similia elucidabuntur. «Illud etiam est in hac distinctione observandum; solere distingui in positivam et negativam; quae partitio »non tam ex parte ipsius distinctionis, quam extremorum ejus data »est; distinctio enim ipsa formaliter semper in negatione consistit, »ut supra dictum est: tamen negatio haec intercedit aliquando inter res positivas et reales, *quarum una non est alia*; et tunc dicitur »distinctio positiva, et haec est propria distinctio realis, de qua nos »locuti sumus. Aliquando vero consideratur talis distinctio inter »ens et non ens, aut inter non entia omnino diversa; et tunc vocatur distinctio realis negativa: quia unum illorum extremorum non »habet realitatem quam habet aliud, si ens positivum et reale sit: »vel si utrumque sit ens privativum, ut tenebrae et caecitas; quia »ita separantur et distinguuntur inter se, quod, si positivae res essent, realiter distinguerentur, vel certo, quia fundamenta habent »realiter distincta, in quibus suo modo esse censentur.»

Cum ait D. Thomas (2), «ad *distinctionem* non sufficere oppositionem affirmationis et negationis,» loquitur de negatione subjectiva, seu logica. Et recte: nam haec supponit, ut (ibidem) dicit, *oppositionem* objectivam, quae est ipsa distinctio, seu negatio unius de alio.

(1) Disp. VII, sec. 1. *Metaph.*—(2) *De Potent.* q. 10, a. 5.



## THESIS XXVII.

Natura humana Christi habet existentiam distinctam ab existentia Verbi; non tamen completam ab intrinseco.

119. *Nota.* Ait D. Angelicus unum esse Christum «secundum esse:» id aliqui non intelligentes, inferunt, unam tantum esse in Christo existentiam. Thesis nostra est communissima inter Theologos.

Pars 1.<sup>a</sup> prob. 1.<sup>o</sup> Concilia et Patres docent, creaturam esse et opus commune SSmae. Trinitatis humanam Christi naturam: habet ergo suam *actualem* entitatem creatam. Sed id vocamus creaturae existentiam: ergo distinguitur ab existentia Verbi, quae non est creata.

2.<sup>o</sup> Humanitas Christi, ut actualis entitas, id est, extra causas posita, praesupponitur ordine naturae assumptioni. Atqui facta unione manet utraque natura hoc quod erat, ut definivit Oecum. V. can. 8. Ergo manet cum sua propria actualitate, seu existentia.

3.<sup>o</sup> Verbum Divinum existit per suam Essentiam, cum sit ens a se. Ergo si natura humana existeret per Verbi Existentiam, existeret per Essentiam divinam. Subs. Atqui existere per Essentiam divinam est uniri immediate cum Essentia divina: ergo Verbum et humana nature unirentur secundum aliquid absolutum; quod supra rejectum est: (Thes. XXIII).

4.<sup>o</sup> Existentia non distinguitur realiter ab essentia: ergo quemadmodum Christus non potest esse homo per Essentiam divinam, ita neque existere potest, qua homo, per Existentiam divinam. V. Suarez. *Metaph.* D. 31, S. VI; et Vazquezium, D. 72, in 3.<sup>m</sup> p. cap. 2. Item: Valentiam (1), etc. Kleutgen (2).

Prob. 2.<sup>a</sup> pars. Existentia, quae non est per se complete independenter ab alio, non est perfecta ab intrinseco. Atqui talis est existentia naturae humanae Christi, cum sit per se, seu subsistens, per Verbum divinum (3): Ergo.

120. *Coroll.* Ex dictis intelligi potest, quo sensu a D. Thoma dicatur, Dominum Jesum Christum habere tantum *unum esse*: loquitur enim de *esse perfecto*. Nam licet esse Verbi sit simplex et perfectum, tamen esse humanae naturae non est perfectum nisi quatenus *unum esse* compositum efformat cum divino Verbo. Ita-

(1) In D. Thom. *De Deo*, Disp. I, q. 3, p. IV. — (2) Philosoph. Scholast. Tom. 3, *De essent. et Exist.* pag. 80, 88. — (3) Supra Thes. XXI.

que sine causa dicunt nonnulli AA. retractasse hic D. Thomam quod in quaestione de *Unione Verbi Incarnati*, a. 4, aperte docet; nempe, duas esse in Christo existentias.

Praeterea, quam consona sit menti D. Thomae haec explicatio ex his elucet, quae ipse tradit (1): «Unitas personae requirit »unitatem ipsius esse *completi* et personalis.»

121. *Objic.* 1.<sup>o</sup> Sophronius, in Syn. VI, Act. 11, ait: «In ipso et et non in se habuit humanitas existentiam *cum Verbo*.»

Resp. Illa, *cum Verbo*, non sunt Sophronii, sed arguentis (Medinae). Sophronius tantum dixit: carnem, animam et compositum utriusque, unam fuisse existentiam a Verbo assumptam, et in Verbo extitisse.

Instabis. Adjunxit Sophronius: «persona composita... esse »unum, et permanere unum individuum sortitur;... esse unum »sortitur natura duplex.»

Resp. Esse personale et perfectum: concedo: aliter, nego.

*Objic.* 2.<sup>o</sup> Substantia quae existit, etiam subsistit: ergo si fuerit duplex existentia, etiam duplex subsistentia.

Resp. *Dist. antec.* Etiam subsistit naturaliter; concedo. Absolute et necessario; subdist. Vel actu et complete, vel aptitudinaliter et incomplete; concedo, Actu et complete; nego.

## SCHOLION.

122. De mente D. Thomae in hac quaestione, disputant AA.: verum abstinemus ab ejusmodi lite, et satius videtur exscribere, quae ad rem praesentem habet Vazquezius (3). «Quod superest, mentem S. Thomae in hac re explicemus; quem Doctores prioris sententiae pro se adducunt, quibus nullo modo favere »existimamus. Atque in primis praemittendum est, ex discipulis et »familia ipsius Paludanum, loco citato, dixisse; posteriorem »sententiam, quam secuti sumus, potius esse S. Thomae, quam »priorem: eam enim plane docuit, *quodlib.* 9, a. 3; et in *Quaestione*, »*Disput. de virtutibus*; ibi enim (a. 4) plane affirmat; Christo unum »solum esse integrum, et (ut vocant) totale tribui debere, duo autem esse secundum quid, propter duas naturas: ex quo infert, naturam humanam non habere in Christo proprium *esse simpliciter* »quia non est per se, sed in Verbo. Quocirca in illo articulo comparat esse totius hypostasis cum esse totius entis naturalis; in quo »sunt diversae partes, quarum quaelibet si separetur, incipit habe-

(1) Q. 19, a. 1, ad 4. — (2) Syn. VI, Act. 11. — (3) In 3, p.<sup>m</sup>, Disp. LXXI, c. 3.



»re esse: non quia antea non haberet aliquod esse proprium, sed  
 »quia illud esse quod habeat in toto, non dicebatur *esse simpliciter*  
 »sed esse partis. Neque vero in hoc praesenti articulo quidquam  
 »contra hanc sententiam docet: quin imo si conferatur cum prae-  
 »dictis articulis, plane constabit idem in eo omnino sensisse. Qua-  
 »re ego non video, qua ratione, aut quibus verbis nixus Cajeta-  
 »nus, in hoc articulo dixerit, Doctorem sanctum posteriorem  
 »hanc nostram sententiam, quam in illo *Quodlibeto*, et in *Disputata*  
 »illa quaestione fuerat secutus, retractasse in hoc articulo; cum fere  
 »eisdem verbis, et exemplis utatur. His omnibus, in confirmatio-  
 »nem nostrae sententiae, addi potest id, quod ipse S. Thomas  
 »docet (1): nempe, esse non posse separari a forma, sicut nec ro-  
 »tunditatem a circulo. Nam quod respondet Cajetanus, in hoc  
 »art. ad 8.<sup>m</sup> argumentum Scoti, videlicet, ibi loqui S. Tho-  
 »mam, de potentia causarum naturalium creaturarum, non tamen  
 »de potentia absoluta Dei (quasi id facere possit Deus, circulum  
 »absque rotunditate!), parum habet momenti; id enim dixit S. Do-  
 »ctor, ut ostenderet, Angelum non esse corruptibilem, ex eo quod  
 »esse ejus non potest ab eo separari, sicut neque esse a forma sepa-  
 »rari potest: quod si aliquo modo separari posset, saltem per poten-  
 »tiam Dei, diceret procul dubio, eo modo esse a Deo corruptibilem  
 »Angelum, ac proinde concederet, assumi posse ejus naturam a  
 »Deo ad idem esse existentiae, quia eo ipso amitteret suum esse, ac  
 »proinde corrumpere. Quo circa in solutione tertii (argum.) ea  
 »solum ratione dicit Angelum posse a Deo in nihilum redigi, quia  
 »potest a Deo non conservari, non dixit quia *esse illius potest ab eo*  
 »*separari*; sed quia, cum pendeat a Deo, potest ab eo non conserva-  
 »ri, ac proinde in nihilum decidere.»

#### THESIS XXVIII.

Persona Christi *in recto*, seu ut subsistentia, est simplex; in obliquo autem, seu ut significans naturam, est composita.

123. Prima pars ex se patet.

Prob. 2.<sup>a</sup> pars 1.<sup>o</sup> Agatho pp. in Ep. dogmat. ad Imperatores: «Differentiam naturarum... discernimus ex quibus est »compositus» Christus.

2.<sup>o</sup> Sophronius (2): «Quae extat persona composita ex in- »confuso constans temperamento... est unum et duo: unum secun- »dum subsistentiam, duo vero secundum ipsas naturas.»

(1) P. 1, q. 50, a. 5. (2) Syn. VI, Act. 11.

3.<sup>o</sup> Natura aliquo modo spectat ad definitionem seu constitutio- nem personae; ut patet ex praenotatis (in Thes. XXI). Ergo si natura non est una et simplex, sed duplex et composita, persona quoque composita dicenda est.

124. Obj. Compositum est quod coalescit ex partibus; sed natura divina non potest esse pars. Ergo neque persona Christi dici valet composita.

Resp. dist. *min.* Quatenus pars est quippiam relative imperfectum; conc. *min.* Quatenus pars est aliquid conveniens in unum; nego. Scilicet, omnis pars, in creatis, fert secum communiter aliquam imperfectionem, quia illud in quod partes conveniunt est perfectius iisdem: cum autem ratio compositi possit ab ista abstrahi imperfectione componentium, nihil obstat quominus Persona Christi composita sit et dicatur. (V. D. Thom. P. 3, .q 2, a. 4.)

#### SCHOLION.

125. Quae sint in hac Christi compositione extrema componen- tia, facile intelligitur. *Immediata* sunt Verbum et humanitas: mediatum autem Divinitas, quae per Verbum humanitati unitur.

Hinc patet, quomodo Persona Christi dici humana potest; non quidem materialiter seu *in recto*; sed formaliter seu *in obliquo*, quatenus est persona seu subsistentia naturae humanae.

Item: Persona Verbi non facit compositum cum natura humana, tamquam modus ejus vel accidens; sed tamquam purus *terminus perficiens*. Ideo, neque sustentat naturam humanam ut *subjectum ejus*, neque per modum agentis, actione quicquam in ea efficiens; sed ut complens defectum, sine quo non posset naturaliter esse, scilicet, sine subsistentia.

#### THESIS XXIX.

Christus Dominus dicendus *unus et unum*.

126. Propositio est de fide, et errori opponitur Nestorianorum.

Prob. 1.<sup>o</sup> Syn. Oecum. III, can. 3. «Si quis in uno (τοῦ »ἐνός) Christo dividit substantias, (nempe ὑποστάσεις, subsistentias)... »anath. sit.»

Item, Chalced. Oecum. IV. «Sequentes SS. PP., unum »(ἓνα) eundemque confiteri Filium et Dominum N. J. C. omnes do- »cemus.»

Et Syn. Oecum. V, can. 3. «Si quis dicit alium esse »Deum Verbum, et alium Christum... vel in ipso esse alterum cum »altero (ἄλλον ἐν ἄλλω), et non unum (ἓνα), eundemque Dominum N. »J. Christum, Dei Verbum..., Anath. sit.»



Prob. 2.<sup>o</sup> In Symb. Athanasii: «Non duo tamen. sed unus est Christus... Unus omnino, non confusione substantiae, sed unitate personae.»

Gregorius Naz. in ep. ad Cledon. «Aliud quidem et aliud ea ex quibus est Christus... non autem alius et alius, absit: haec enim ambo unum τὰ γὰρ ἀμφότερα ἓν.

3.<sup>o</sup> Si duo esset Christus, id propter duas esset naturas. Sed hoc non sufficit; ergo dici nequit duo.

Prob. min. Naturae sunt duae in abstracto tantum. Sed cum dicitur Christus, naturae significantur in concreto: ergo non sufficit ut Christus dicatur duo, quod duae sint naturae.

Maj. patet. Cum naturae dicuntur in concreto (homo, Deus), significatur suppositum. Sed suppositum est unum tantum: ergo naturae...

Obj. Plures PP. cum D. Thoma (1) dicunt, Christum esse aliud et aliud. Sed aliud et aliud sunt duo; ergo non unus et unum dicendus.

Resp. Dist. min. Sunt duo in puris creaturis; concedo. In Christo, nego. Nam in Christo sunt duae naturae in uno supposito. (V. D. Th. q. 17, a. 1.)

#### ARTICULUS IV.

### De consequentibus Christi unitatem.

#### THESIS XXX.

De duabus Christi naturis in concreto sumptis (Deus, homo.) potest fieri mutua praedicatio et possunt mutuo earumdem proprietates in concreto praedicari.

127. Propositio est de fide.

Nota I.<sup>o</sup> Haec mutua proprietatum praedicatio vocatur *Communicatio idiomatum*; ex voce ἰδιώτης; proprius. In hac re multipliciter errarunt haeretici, pro varietate suorum errorum, uti notant D. Thomas (2) et Suarez (3). a) Aliqui dixerunt esse hominem per similitudinem, ut Manichaei: sicut cuprum figuratum dicitur homo. Sic loquebantur putantes, phantasticam esse humanitatem Christi. b) Alii dicebant esse hominem, vel Deum, ratione partium

(1) Q. 2, a. 3, ad 1.—(2) Ibid.—(3) Disp. 35, De Incarn.

tantum; quia ponebant naturas ut partes tantum, sine unitate. (c Quidam negabant veritatem ex parte Dei; ideo dicebant Christum Deum per participationem, seu gratiam. d) Aliqui concedunt quidem veritatem utriusque termini, sed negant veritatem praedicationis: quia ponunt tantum conjunctionem moralem. *dignitatis, auctoritatis, affectionis*, etc. id est, accidentalem. Isti, proinde, duas hypostases fingeant.

II. Ut de veritate alicujus locutionis judicemus, duae regulae prae oculis habendae. 1.<sup>a</sup> regula: nisi aliter constet, ex praedicto cognoscitur quomodo supponit (loquimur de *Suppositione logica*) subjectum. Ex. gr. Homo est ens: homo est species. Deus est omnipotens: Deus est nomen. 2.<sup>a</sup> regula: voces accipiendae ut nummi, id est, juxta valorem et aestimationem: haec autem a Conciliis et SS. PP. potissimum intelligenda in rebus fidei.

III. Quidam sentiunt nomina concreta significare *in recto* naturam, *in obliquo* autem personalitatem: sic Arriaga. (Tom. I, d. 54).

Alii vero putant utrumque directe significari. Alii è contra, existimant personam *in recto* notari, et *in obliquo* naturam: ita D. Thomas, et quidem juxta 11.<sup>m</sup> Reg. supra traditam. Tamen haec D. Thomae sententia aliquibus subjacet exceptionibus propter haereticorum abusus.

128. Prob. thesis 1.<sup>o</sup> In Ephesina Syn. can. 5. definitur: «Si quis audeat dicere, hominem Christum theophorum, id est, Deum ferentem, ac non potius Deum esse veraciter dixerit, anath. «sit.» Item in can. 1. «Sanctam Virginem esse Θεοτόκον, id est, Dei genitricem et genuisse Dei Verbum.» Et in can. 12. «Si quis non confitetur Dei Verbum passum carne, et crucifixum... sicut est vita et vivificator ut Deus.» ...Similiter alia loquuntur Concilia.

2.<sup>o</sup> Joan (1): *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*. Jam vero *esse carnem et habitare in nobis*, ratione humanitatis, ei conveniebat. Item, (2) vocat Joannes Christum. *Vitam aeternam. Verum Filium Dei, Deum verum*. Et Thomas (3) *Dixit ei* (quem vidit, tetigit et palpavit): *Dominus meus, et Deus meus*.

129. 3.<sup>o</sup> Gregorius Nys., ep. ad Theophil. «Propter exactam unionem... mutuo transferuntur vocabula, ut humanum ex divino et divinum ex humano denominetur.»

Damascenus (4). «Deus suscepit ea quae sunt carnis idiomata, dum Deus passibilis nominatur, et Deus gloriae crucifixus est.»

Similia profert Augustinus (5).

(1) I, 14.—(2) I Jo. I, V.—(3) Jo. XX, 28.—(4) L. 3, c. 4, 6. — (5) *Cont. Serm. Arianor.* c. 8.